

1593
Nivernien-
sis Ducis
cum Pontif-
ficis
officia.

congressu Clemens interdicit. Romam quinquaginta nobilibus comitatus cum pervenisset, eadem die sub vesperam coram Pontifice perductus, mandata Regis exponit, ac longiorem Romæ moram postulat; Purpuratos invisiendi, uti jussus a Rege fuerat, quo tota illos de re doceat, facultatem flagitat. Clemens, petitionibus examinatis, quæ sua mens sit, significaturum respondet. Denuo Niverniensis colloquutus, Galliæ statum exponit: ampliorem ac præstantiorem partem regi parere; robur nobilitatis ab eo pendere; copiis tum pedestribus tum equestribus pollere; Principum amicitiis, virtute propria, florente ætate, corpore ad omnes labores perferendos idoneo, animo inconcuso, atque periculorum facie interrito, perpetuo fortunæ adspirantis cursu, triumphis ac victoriis assueto, Regem esse: foederatos infirmos viribus, diversos consiliis, sejunctos spe, cogitationibus, parum externis subsciendiis fretos, quorum non tam auxilia experti, quam jacturas damnaque perpesti sint: jam palam fieri, inani spe Lutetiæ de novo eligendo Rege actum; nullo unquam tempore regiam dignitatem Gallos exteris deferri passuros: unanimes ad libertatem regnique fundamenta tuenda, jugumque, quo indigne premantur, excutiendum concursuros. His atque aliis de rebus Gallicis Clementem edocet; quantum ab illa sanctissima Sede potentissimi fortissimique Regis accessio magnificanda sit, luculenter differit; qui supplex ad ipsam confugerit, pontificiis mandatis in iis, quæ ad Divina spectarent, ultro obtemperaturum pollicitus fuerit: unam hanc ad firmandam amplificandamque catholicam religionem in Gallia viam esse, si magnanimus invictusque Princeps Ecclesiæ sinu excipiatur: pietatis ejus illustri exemplo, non armis, non sanguine, non cæde provehi religionem posse. Verumtamen Niverniensis magna dicendi vi Clementis animum, si qua posset, flectere adnixus, prædурum alienumque offendit; vel, ne apud foederatos, qui pro religione arma induerant, integrati animi notam subiret; vel, ut de Regis voluntate adhuc certior, quo tandem Galliæ res inclinarent, penitus inspiceret, neque præpropero consilio usus fuisse videretur. Itaque Clemens Ducis discessum urgere, aditum ad Purpuratos negare, tres Antistites, qui Romam cum eo venerant, nisi

prius